LUCIDA INTERVALLA

PRILOZI ODELJENJA ZA KLASIČNE NAUKE

32
(2/2005)

FILOZOFSKI FAKULTET
U BEOGRADU
2006

UDC 811.124'373.43

Vojin Nedeljković

De vocabulis novis et mixobarbaris*

Apstrakt. U ovom ogledu o proširivanju latinskog leksikona u svrhu moderne komunikacije razmatraju se motivi, mehanizmi i sistematske posledice neologije u današnjoj latinističkoj praksi.
Ključne reči: moderni latinitet, internacionalizmi, neologizmi, bastardne kovanice.

De vocabulis novis ac praesertim de mixobarbaris, quae nobis nuper fuit disceptatio, aliquot jam dies ad vos, spectatissimi sodales, scribere mihi in animo est; sed parum penes me otii. Exspectandum itaque *weekendium* erat (nisi forte *sabbatocyriacum* mavultis aut *sextoseptimam*) uti scripturae vacare possem; et sane, ne inter nos non intellegamus, necesse erit ut longior aliquanto sim. Taedione hoc epistolium magis an prolixitate laboraturum sit, »ne quis dictum sibi neget«, in incerto est.

Solet fieri ut cujuslibet linguae locutores nova sibi verba asciscant – nec tantum urgente in rebus singulis necessitate, sed et ultra. Nam in hoc ipso, ut materia verbalis renovetur paulatim, nonnihil jucundi inesse videtur. Lingua enim cum sit humanum negotium, ad naturam et ipsa conformatur humanam, cui et taedium veteris obrepere solet et spes novi, donec invicem novitatis incertae fastidio desiderioque probatae vetustatis afficiatur. Quare mihi illud Ciceronianorum nostrorum praeceptum, ne dicendi rationibus novis utamur nisi ad novas res designandas, parum providum videtur. Mortalium enim actuositas in eo consistit

---

* Ovaj ogled napisan je novembra 2001. za diskusionu grupu Grex Latine loquentium (www.alcuinus.net/GLL). Autori navoda u tekstu su Akihiko Watanabe (»Accius«) i Vittorio Ciarrocchi (»Victorius«).

Donesen ovde (s neznatnim izmenama) kao primer žive delatnosti neolatinista na Internetu, tekst ne može ilustrovati i njenu tematsku raznovrsnost. Na samoj diskusionoj grupi GLL, koja okuplja i do četiristo članova, svakodnevna prepiska vodi se na najrazličitije aktualne i istorijske teme; čitaoca će možda interesovati *Merulanae disputationes*, arhiva prepiske vođene u proleće 1999. o ratu oko Kosova: www.alcuinus.net/GLL/exempla/exempla.htm.

ut quamvis nota ac vulgata denuo secum reputent, tum denuo exprimant, hac re coacti quod, quidquid in mundo novi apparet, veterum quoque rerum aspectum sensumque mutat.

Igitur verborum renovatio non solum externa ratione necessaria sed etiam intimae naturae congrua ac per se delectabilis est. Attamen in ea re, quae omnium linguarum communis est, mirum quantum gens a gente differat. Gallos sumamus et Italos, finitimos populos et cognatos. Gallorum lingua litteraria neologismos tam parce admittit ut a multis (nec solis Gallis) stabilissima et excultissima existimetur. Inveniuntur tamen qui eam stabilitatem malint linguae rigorem animique torporem appellare. Contra quid neologismis scatet magis quam lingua Italica? in qua voces et alienae admittuntur et novae finguntur tam alacriter ut glottologica prurigine ustos homines dixeris. Itaque habent Itali et usurpant, inter similia mille, illud *ipotizzare* (»rei exsistentiam concedere per hypothesim«) – quod verbum cum ceteris hominibus tum praecipue Gallis fastigium inutilitatis et intumescentis animi triste symptoma videtur.

Et haec quidem inter varias linguas differentia est. Sed nec unius cujuslibet linguae omnes partes aeque attinguntur renovandi cupidine ac necessitate. Nam vestem lingua mutat promptius quam indolem. Vestem dico materiam verbalem, quae tamquam indumentum est notionum; indolem autem, structuram illam qua verbalis materia ita ordinatur regiturque ut orationem conficiat. Et mobile quidem utrumque, nec tamen aequo gradu. Nam verba et nasci et perire et recuperari cotidie solent, structura vero aut non mutatur aut non nisi tardissime; accedit quod structurae mutationes irreparabiles plerumque sunt. Ut ad Italicum recurramus exemplum, quidquid fere verborum Latinorum est, praesto est Italis ut, si quid opus sit, sumant (et fecerunt hoc saepissime); quae assumpta cum *voci dotte* nominentur, saepe tamen sermoni Italico ita accommodantur ut nihil naturalius. Contra si quis voluerit Latinam nominativi casus ab accusativo distinctionem ut commodam restituere, vel si brevitatis causa conjugationem passivam desiderarit, frustra flebit – nam »panditur ad nullas…«. His rationibus ducti philologi discrepantias structurae vehementius notare solent: hae enim sunt commotiones quae linguam penitus mutare vel, ut multi loquuntur, corrumpere valent. Certe et structurae discrepantia toleratur aliquatenus; alioqui non fieret ut singulorum locutorum consuetudines, quae ad unguem aequales esse

non possunt, unam nihilominus linguam constituerent (diasystema hoc appellatur a glottologis). Unde et illum homuncionem qui Pompejis scripsit »*cum discentes suos*« vitiose quidem sed Latine locutum affirmamus. Sed tamen constat, quotiens lingua in aliam linguam transisse dicatur, id de structura intellegi; rursus, si quid majus de structura mutetur, viam aperiri ad irrevocabilem ipsius linguae mutationem. Haec igitur quaestio erit: in materia verbali renovanda quid sit quod structuram linguae mutet, quid minus.

Tres omnino fontes sunt unde ad novas res significandas vocabula hauriuntur.

Metaphora prima est, qua contingit ut in novos usus vocabula vetera conferantur. Haec cum nulla omnino fingat vocabula, nullius umquam aures offendere solet. Adde quod ea metaphorae natura est ut habeat vim imaginativam non mediocrem; unde verbis pristinis datur ut tamquam novis refulgeant coloribus, et tota fere oratio fit ornatior vegetiorque. Ne careamus exemplo, mihi semper placuit illa festiva ratio qua inventa sunt Anglica nomina rerum ad computatra promiscue pertinentium. Optime sane de genere humano meruerunt Americani quod et *mouse* et *window* et *folder* et *surf* et *cut* et *paste* et alias permultas voces rei computatoriae per metaphoram assignarunt, potius quam inaudita vocabula fingerent. (Sic et de Latinitate bene meruit nescioquis hujus gregis sodalis, qui olim cum nobis absurda quaedam neque ulli jucunda epistolia afferrentur, gregem *saginari* dixit.) Ceterum non solum efficacissima sed etiam usitatissima omnium ratio novas res nominandi metaphora est. At ne haec quidem sine incommodo est. Nam rerum multitudo paucitate verborum sic solum describi potest, si singulae voces in multiplices cogantur significationes; quod si fiat crebrius, sermo nobis vagus, cogitationibus impar ac velut puerilis evadat – ne dicam de metaphoris minus jucundis ac prope insulsis, quae linguam deturpant non ornant: cujus generis est illud Germanicum *Augenbutter*, quo lipporum oculorum excrementa significantur.

Sequitur verborum inter linguas mutuatio, qua ad vocabulorum inopiam si qua fuerit resarciendam alienae quoque opes praesto sunt. Haec non solum commoda admodum est, sed etiam fidei et auctoritatis nescioquid prae se fert. Quotiens enim *vodkam* aut *tequillam* vel *ouzo* nominari audimus, nonne et sapores velut praesentes percipimus? Quae felicis-

sima rerum perceptio pereat omnino si alia in horum locum nomina substitueris. (Certe equidem potionibus illis diffidam nisi suo nomine appellentur!) Sed quod in exoticis commodum, id ipsum durum in ceteris universis. In vocabulis enim peregre acceptis id imprimis optandum, ut sint indigenis quam simillima; quae similitudo in eo praecipue constat ut declinationi ne repugnent, tum deinde ne ex phonetica parte duriora sint. Rem ficto exemplo illustrabo. Si quis vocabulum Anglicum q.e. *space shuttle* inter Latina velit asciscere, poterit profecto illud *space* sine ambiguitate omittere; tum, ut declinationi provideat, *shuttlium* (unde *shuttlii*, *shuttlio*) malet fortasse dicere quam *shuttle* indeclinabiliter. At sonitus asperitati nullum remedium: manebit non solum scribentibus et legentibus tam incommoda inter scripturam et vocem discrepantia, sed et audientes vexabit illud *sh* vix tolerabile, tum etiam *tl*, quo nihil Latinis auribus alienius. Certe possumus id quoque imaginari ut ex *shuttle* fiat *sattulum* – nam ita fere pristinis temporibus aliena accommodabantur vocabula, nullo authentiae respectu. Sed idem nostro saeculo absurdum. Nemini *sattulum* placebit, quoniam neque vocabulum satis exprimit Anglicum, et tanta obscuritate est ut nullam aut originis suae aut significationis rationem reddere possit. Saepe sane in vocabulis mutuandis nimis alta cupere videmur: nam tractabile simul et exoticum dum optamus, in diversas partes trahitur animus.

Venio nunc ad verborum derivationem et compositionem. Quaecumque in prioribus incommoda vidimus, hinc maxime absunt. In his enim nihil vagi, nihil absoni esse solet; certa omnia et provisa; unde vocabula tam perlucida evadunt ut primo quoque aspectu perspiciantur ac statim intellegantur. Nam cum *calefactio* aut *manutergium* aut *multiloquentia* quamvis ignaro nominatur, quid opus est lexico? Et tamen inest in ea ipsa securitate, si nimium increbrescat, lentum quiddam et molestum et quod orationem aridam efficiat. Quo pacto? Quia quaecumque nomina ex aliis intelleguntur, parum proprietatis habent. Quinimmo nomen vere non est nisi illud quod suam servet obscuritatem – quam »signorum arbitrarietatem« vocant glottologi. Accedit quod composita praesertim verba, cum satis versatilia esse soleant quoad syntaxim, tamen circumlocutioni simillima saepe sunt. Quid enim interest inter *veriloquium* et *sermonem verum* vel *veri observantiam*, nisi quod illud dictum arrogantius? (Non dico de *veriloquio* Ciceroniano, quod accipitur »etymologia«, sed de

ejusdem verbi usu posteriore.) Ceterum ne in hac quidem re ullus inter gentes consensus est. Unde et Marcus Twain compositionem Germanicam his verbis increpat:

> *Freundschaftsbezeigungen* seems to be 'friendshipdemonstrations,' which is only a foolish and clumsy way of saying 'demonstrations of friendship.' *Unabhängigkeitserklärungen* seems to be 'independencedeclarations,' which is no improvement upon 'declarations of independence,' as far as I can see. *Generalstaatsverordnetenversammlungen* seems to be 'generalstatesrepresentatives-meetings,' as nearly as I can get at it – mere rhythmical, gushy euphuism for 'meeting of the legislature,' I judge. We used to have a good deal of this sort of crime in our literature, but it has gone out now.

Sed quod absurdum Anglophono, idem Germano utile ac necessarium.

Jam igitur videamus harum omnium rerum quo quaeque effectu sit in structura linguae aut servanda aut mutanda.

Metaphoris nihil fere cum structura. Neque enim fit nisi rarissime ut verborum significatio eorundem formam afficiat. Cum dico rarissime, venit in mentem insignis ille casus quo Anglophoni, postquam rem illam cujus imago sagittae similis huc illuc trusitatur per monitorium *mouse* appellarunt, etiamnunc, ni fallor, haesitant utrum tandem plurali numero dicendum sit, *mice* an *mouses*.

Contra cum vocibus peregre acceptis contentio et quasi litigatio perpetua esse solet, nec mirum: nam quod altera lingua genuit, id alteram non turbare non potest nisi casu felici ac fortuito. Jure igitur distinguunt Germani inter mutuationes feliciores, quae *Lehnwörter*, et ceteras, quas *Fremdwörter* appellant.

Verborum postremo derivatione nihil facilius; et tamen, si propius inspexeris, nihil fallacius. Nam quid agas cum *probatio* actionem, *conjuratio* actionem perfectam ac rem inde effectam (nexum scilicet qui inter conjuratos est), *cenatio* locum, *natio* et *vexillatio* hominum coetus significent? Etenim suffixa quidquid valent, non per se valent, sed totam vim sumunt a dictionibus quibus continentur; hae autem, ut semel natae sunt, suam quaeque vitam vivunt, suo jure significationes novas suscipiunt, veteres aut servant aut repudiant.

Non igitur aeneam cervicem habet ea structurae pars qua derivationes reguntur, sed diuturno usu diffluit et solvitur; et, quemadmodum vinispiritus alacritatem primum, tum crapulam gignit, sic verborum

derivationes structuram linguae primum corroborare videntur (immo et corroborant – nam regulam etiam atque etiam confirmant), postea tamen derivata, dum in usu sunt, ipsam unde geniti sunt structuram rimantur paulatim atque effringunt.

Quare adhibenda est in derivandis componendisque vocabulis quam maxima cautio. Quae enim nova finguntur, etiam si bene finguntur, linguam vexant aliquantulum, et si nimis multa sunt, enecant.

Jam igitur apparet quid in mixobarbaris sit vitii. Haec cum ex alieno et domestico componantur (ut *automobile*) aut e domestico per alienum derivantur (ut *terrorista*), exotismum tarditati ac molestiae maritant infelicitate prope singulari.

Sed antequam in mixobarbara praesentia merito invehamur, videndum est ne quam dictionem immerito huc adnumeremus. Nam scripsit Accius noster sic:

> Plautus ille ut multa alia praeteream ausus est fingere verbum quod est *subparasitor, -ari*.

At enim per derivationem domesticam non fiunt mixobarbara. Ergo vitii nihil est in Plautino *subparasitari*: voce enim q.e. *parasitus* recepta, licet inde alias voces linguae Latinae ratione derivare. (Item *episcopatus* nihilo deterius est quam *pontificatus*, postquam *episcopus* vox Latina facta est.) Contra si quis velit pro eo q.e. *parasitari* dicere *parafrumentari*, ridendumne an lacrimandum sit, ipsi videte: mihi placet utrumque.

Ad summam, quisquis mixobarbarorum naturam cognoscere vult, duo vel tria nova fingat, et ipse se delirare sentiet – nisi forte Anglophonus sit. Nam in vocibus mixobarbaris quid sit vitii, hoc aliquanto minus apparet hominibus quorum patrius sermo Anglicus est. Anglica enim lingua adeo mixtae originis adeoque versatilis est ut variis ex fontibus hausta elementa amet consociare; unde plurima sibi verba finxit instar horum: *drinkable*, *rewrite*, *teleshop*, in quibus Saxonica cum Latinis Graecisque sine reprehensione coaluerunt. At ceteris linguis vocabula mixtae originis tum solum tolerabilia esse solent cum nihil ibi inest sui peculii. Ea est causa cur Germanice possis aut *Fernsehen* dicere aut *Television*, non **Telesehen* neque **Fernvision*; et cum dicatur *Terrorist* et *Zivilist*, **Fahrist* tamen et **Ansagist* nemo dicet. Ceterum ne ipsis quidem Anglophonis hujusmodi scrupulus omnino alienus est: itaque *writer* dicere solent, non **writor*, et *dumbness* non **dumbity*.

Haec quoque Accius:

> *Cryptoporticus* Plinius Iunior non erubuit in epistulis suis scribere.

Tenes me: nam leguntur etiam apud auctores mixobarbara nonnulla. At si volumus verum scire, quicumque mixobarbara hodie defendunt, non ideo hoc faciunt quod velint Romanos imitari. Nostra enim aetate haec mihi praecipua causa videtur cur tam multa mixobarbara a Latine loquentibus necessaria putantur: ne ab usu linguarum modernarum longius absit lingua Latina. At videte inter ipsas linguas modernas quid accidat – immo quid non accidat. Num quis audet, communis intellectus causa, Italis edicere ne illam vocem q.e. *morbido* intellegant »molle«, quando ceterae gentes intellegunt »morbo affectum«? ne dicant *autista*, quia ceteri non »aurigam« accipiant sed »quodam mentis vitio laborantem hominem«? ne suum *paragone* usurpare perseverent, cum nullus sit linguae Italicae tiro quin aliquando finxerit *comparazione* pro *paragone*? Num quis porro Anglis hominibus arrogantiam imputat quod verba *concrete* et *eventual* non eodem modo accipiunt ac ceterae gentes? Liceat ergo et Latinis suo more loqui et praeter ceteros. *Terrorismum* paene omnes habent, nos *tromocratiam*: quid tum? Quam ceteri pietatem non debent, nos debemus, et quod ceteris in Latinitatem licet, nobis non licet.

Haec autem Victorius:

> Si talia verba sunt reicienda, quibus vocibus locutionibusve uti debeamus? Si de *nazistis* vel *communistis* ex. gr. loqui velim, sitne mihi scribendum: »de hominibus doctrinae faventibus, cuius Adolfus Hitler fuit dux«? Et de *communistis* forsitan scribere debeam: »de hominibus qui volunt omnium bonorum aequationem«, et huic sententiae nonne melius esset si adderem: »ad mundum meliorem reddendum« vel aliquid simile? [...] Quare facere non possum quin de illis gregalibus nostris potissimum cogitem, quorum sermo patrius est lingua Angloamericana, quae etiam brevitatis gratia – sicut linguarum periti adfirmant – maxime hodie vulgatur. Nonne illi ridebunt primi si quis, potius quam *communista*, *rationalista*, *nazista* et similia, eis potius locutionibus usus sit, quarum supra quaedam exempla attuli?

Equidem censeo nihil non licere: transferamus, mutuemur, componamus, derivemus, dummodo ne hanc linguam, ne ipsi nos deridiculo habeamus. Totam sibi *nazistarum* et *rationalistarum* catervam quamvis intolerabilem asciscere, hoc neque acquirere neque mutuari est, sed vere »*subparasitari*«. Ut vero cavere sciamus, quippe quibus Latinus sermo patrius non sit, imitandus interdum est sensus ille quem Graeci ad hunc

diem servaverunt. Quid est enim quod Graecis auribus *terrorismus* et *televisio* et *automobile* aut intolerabilia aut omnino nulla sunt? Quia nihil significare videntur – quasi »*blablamentum*« et »*longinquam blablationem*« et »*sui blablabile*« dixeris. Sic nobis quoque sentiendum, ut nostra cum alienis ne confundamus; et imprimis cavendum est ne quid alieni suffigatur radicibus Latinis.

Aliquid denique dicendum est de opinione quadam, quae cum verisimillima videatur, longe tamen abest a vero: linguam Latinam, cum similis quodammodo sit illis quibus ipsa materiam praebuerit, ab his pleraque mutuari posse. Certe aliquid potest, sed non multa. Materiae enim quidquid mutuamur, ex aliena structura sumimus in Latinam translaturi; structuras autem si respicias, tota illa jacet similitudo. Quare diffidendum aut certe cavendum nobis est quotienscumque vulgata rerum vocabula mutuamur a modernis. Talia enim, etsi ex fonte hausta sunt Latino, tamen non cura sui sed incuria alieni compingi solent; siquidem in linguis modernis Latinae et Graecae voces, dum materiae locum obtinent, tamquam »res nullius« tractantur. Graecam potius linguam, si possumus, imitemur, quae sua vestimenta aliis commodata rursus non recipit nisi lota sint ab itinere; et si quid mutuari opus fuerit, a Graecis mutuemur: hi enim soli sunt qui Latina satis pauca admiserint ut nobis non nostra depravata reddere sed sua emendata commodare possint.

New and Bastard Words

The author discusses the possibilities of lexical innovation in Modern Latin and reviews some of the actual practices in that field.

Sadržaj sveske 32 (2/2005)

SANDRA ŠĆEPANOVIĆ
Realnost realnih pogodbenih rečenica u grčkom:
istorijat problema, primeri, moguća rešenja 5

NOEL PUTNIK
Pseudo-Ksenofontov *Ustav atinski* i problemi njegove interpretacije 24

VOJIN NEDELJKOVIĆ
Klasični latinski vokali i diftonzi: sistematizacija i svedočanstva 54

VOJIN NEDELJKOVIĆ
De vocabulis novis et mixobarbaris 71

DRAGANA DIMITRIJEVIĆ
Izveštaj o međunarodnom projektu *Contextualizing Classics* 79